



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque
Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus,
nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Vera sententia statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

moveat; imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem, non deliberat, sed subito moveatur in ipsum. Unde soli nature rationali competit voluntarium secundum rationem perfectam: sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis. Quibus verbis S. Doctor utramque partem nostrae conclusionis & docuit & probavit: unde ulteriori probatione non indiget.

Sed quæres, utrum voluntarium univocè vel solum analogicè dicatur de homine & de bruto? Respondeo univocè de utroque praedicari. Ratio est, quia bruta convenient univocè & genericè nobiscum in gradu & ratione cognoscitivi: Ergo etiam in ratione appetitivi, seu voluntarij. Consequentia patet: quia appetitus sequitur cognitionem, & iuxta modum cognitionis est modus voluntarij & appetitivi, ut ex D. Thoma jam vidimus: Ergo ubi ratio cognoscitivi est univoca, etiam ratio voluntarij seu appetitivi univoca erit. Antecedens vero probatur: Bruta & homo continentur sub eodem genere & gradu animalis: Ergo & sub eodem gradu cognoscitivi. Consequentia patet: nam animal, quod univocè se habet ad utrumque, est vivens sensibile: Ergo & vivens cognoscens; sentire enim cognoscere est: Ergo quæ convenient univocè in ratione genericā animalis, convenient univocè in ratione cognoscitivi.

Dices: Voluntarium dicitur à voluntate: Sed voluntas non reperitur in brutis, nisi metaphoricè, sicut risus in prato: Ergo nec ratio voluntarij.

Respondeo, voluntarium dici quidem à voluntate, ut ab eo à quo nomen imponitur, tanquam à principaliori in genere appetitivi; non tamen significare solum actum ab illa eliciti, sed etiam actum eliciti ab appetitu sensitivo brutorum: quia aliud est id à quo nomen imponitur, & aliud id ad quod significantur imponitur; lapis enim v. g. dicitur à lèdendo pèdem, omne tamen quod lèdit pedem non est lapis. Vel etiam dici potest, quod voluntarium dicitur à voluntate, non specificè sumptā, pro voluntate rationali, sed à voluntate genericè sumptā, prout abstractit à rationali & irrationali, & solum significat appetitum eliciti, ut regulatrum cognitione: & sic sumptum voluntarium dividitur in duas species, scilicet in voluntarium perfectum, quod in solo homine reperitur, & in voluntarium imperfectum, quod convenit etiam brutis; huc etiam animal, seu vivens sensibile, in perfectum & imperfectum dividitur.

Ex dictis colliges, hanc definitionem voluntarij ab Almaïno traditam: *Voluntarium est actio vel omission, que ita est in potestate agentis, ut possit omnibus requisitis, posse eam ponere vel non ponere, non esse legitimam: illa enim solum convenit actibus liberis: voluntarium autem latius & universalius se habet quam liberum; nam convenit pueris, amentibus, & brutis, quibus tamen non convenit libertas, ut ex Aristotele docet D. Thomas hic art. 2. in argumento, sed contra. Item in beatis amor beatificus, & fructus ultimi finis, sunt actus omnino necessarij, & tamen sunt perfectè voluntarij, ut patet ex di-*

A 7. *mo conditio sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem, non deliberat, sed subito moveatur in ipsum. Unde soli nature rationali competit voluntarium secundum rationem perfectam: sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis. Quibus verbis S. Doctor utramque partem nostrae conclusionis & docuit & probavit: unde ulteriori probatione non indiget.*

A 8. *FFIRMANT Vazquez h̄c disp. 23. cap. 4.*

An ratio voluntarij perfectius reperiatur in actibus liberis, quam in necessariis?

A 9. *Salas, & Lorca, citantes Almaïnum, Conradum, & alios. Negant vero Cajetanus, Medina, & alij Discipuli D. Thomæ. Pro resolutione*

Notandum est, ex duplice capite posse contingere quod aliquis actus sit necessarius: primò ex imperfectione cognitionis; quo pačto motus primò-primi & indeliberali in homine sunt necessarij: secundò ex summa perfectione cognitionis, quæ repräsentat objectum ut in se est; & sic amor beatificus est necessarius, quia regulat per visionem beatam, quæ tollit indifferenteriam objectivam judicij, & Deum ut in se est clare voluntati repräsentat. Hoc præmisso,

s. I.

Vera sententia statuitur.

D 10. *Ico igitur: Actus necessarios ex perfectione cognitionis, esse magis voluntarios, quam actus liberos.*

*Probatur primò conclusio: Deus necessarius seipsum amat, & liberè diligit creaturem: Sed amor quod seipsum diligit, est magis voluntarius, quam amor quod diligit creaturem: Ergo actus necessarius in Deo est magis voluntarius quam actus liber. Major patet, Minor probatur. Amor quo Deus seipsum diligit, est major in ratione amoris, quam amor quo liberè diligit creaturem: Ergo etiam est major in ratione voluntarij. Antecedens est certum: quia Deus magis amat seipsum, quam creaturem; amat enim seipsum, ut summum & infinitum bonum, creaturem vero, ut bonum aliquod limitatum & finitum. Consequentia vero probatur. Amor in ratione amoris est essentialiter voluntarius; cum amor nihil aliud sit quam quoddam pondus & inclinatio voluntatis, iuxta illud Augustini in confessionibus: *Amor meus pondus meum, amo referor quocumque feror:* Ergo si amor quod Deus seipsum diligit, sit major in ratione amoris, amore quod diligit creaturem, erit etiam major seu perfectior in ratione voluntarij. Simile argumentum fieri potest de amore notionali, quod Spiritus Sanctus producitur: absurdum enim videtur dicere, quod produtio creaturarum sit magis voluntaria in Deo, quam hujus divini amoris spiratio.*

Respondet Vazquez, amorem quod Deus seipsum diligit, & quod Spiritus Sanctus producitur, excedere amorem quod diligit creaturem, non in ratione voluntarij, sed ex parte objecti; quia scilicet Deus amat seipsum ut habet omnimodam rationem boni, creaturem vero ut bonum aliquod finitum, particolare, & indifferens.

Sed hæc responso magis confirmat, quam infirmet rationem adductam: quia perfectio amoris sumitur ex ordine & intrinseci habitudine ad objectum: Ergo quod perfectius erit tale objectum, eo perfectior erit amor in ratione amoris,

M ij

- subindeque in ratione voluntarij, quam essentia
tialiter amor includit.
- n. Probatus secundò conclusio ratione fundamentali, ex propria ratione voluntarij desumpta. Cùm voluntarium sit id quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis, impossibile est voluntarium liberum in Deo excedere necessarium in ratione voluntarij, nisi excedat illud in hoc quod est esse ab intrinseco cum cognitione: Sed omnino absurdum est dicere productionem creaturarum in Deo esse magis ab intrinseco, aut ex perfectiori cognitione, quam Spiritus Sancti processionem, quae est omnino necessaria: Ergo absurdum est dicere in Deo voluntarium liberum excedere necessarium in ratione voluntarij.
12. Hæ rationes probant, non solum in Deo, sed etiam in natura rationali creata, actus necessarios ex perfectione cognitionis, esse magis voluntarios, quam actus liberos: Tum quia in creatura rationali libertas & necessitas sunt originæ & exemplata à libertate & necessitate divina; vnde loquendum est de voluntario libero & necessario creatura rationalis, sicut de actibus liberis & necessariis voluntatis divinae, servata tamen proportione: Tum etiam quia dilectio patriæ est major in ratione amoris, quam amor viæ; adeoque in ratione voluntarii, que in amore essentialiter includitur: Tum denique quia amor patriæ est magis ab intrinseco, quam amor viæ; cùm caritas patriæ toto conatu feratur in Deum; & ex perfectiori etiam cognitione procedit, cùm maneat à visione beatifica, quae est perfectissima cognitionis ultimi finis.
13. Respondet Vazquez ubi suprà, perfectionem voluntarij non peti ex perfectione cuiuscumque cognitionis, sed solum ex perfectione illius cognitionis que est radix voluntarij: hæc autem (inquit) est cognitionis indifferens, seu apprehensionis objectum sub indifferencia boni & mali.
14. Sed contra: D. Thomas hic art. 2, loquens de cognitione que est radix perfecti voluntarij, quam cognitionem perfectam vocat, ait, illam esse quæ non solum apprehenditur res que est finis, sed etiam cognitionis ratio & proprietas ejus quod ordinatur ad finem ipsum: Sed hæc cognitionis abstractio ab indifferente, ut patet; quia tam bene cognitionis necessaria attingit proportionem finis ad media, & mediiorum ad finem, quam cognitionis indifferens: Ergo falsum est quod cognitionis, quæ est radix perfecti voluntarij, sit solum illa qua apprehendit objectum sub indifferencia boni & mali.
15. Confirmatur: Intantum requiritur cognitionis ad voluntarium, in quantum tollit ignorantiam quæ causat involuntarium: Atqui ignorantia non causatur per defectum indifferentiæ, sed per defectum cognitionis: Ergo ad rationem perfectionis vel imperfectionis voluntarij, non est attendenda ullo modo ratio indifferentiæ, vel determinationis ex parte intellectus, sed ratio cognitionis vel ignorantiae.
- S. II.
- Solvuntur objectiones.
16. **O**BIICIES primò contra istam conclusiōnem D. Thomas hic art. 2, in corp. sic ait: Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine aliquis potest, deliberans de fine & de his quæ sunt ad finem, moveri in finem vel non moveri: Sed quod fit cum deliberatione, est liberum: Ergo voluntarium perfectum, in sententia D. Thome, est idem quod liberum: Ergo non reperitur in actibus necessariis.
17. Confirmatur primò S. Doctor in eodem articulo in resp. ad 3, docet quod laus & vituperium consequuntur actum voluntarium, secundum perfectam rationem voluntarij: Sed laus & vituperium non sequuntur nisi ad actus liberos; qui enim necessariò agit, vel agitur, nullam meretur laudem aut vituperium: Ergo idem quod prius.
- B. Confirmatur amplius: Idem S. Doctor interdum assertor actus notionales in Deo non esse voluntarios, quia necessarii sunt: Ergo ratio voluntarij non reperitur in actibus necessariis.
- C. Respondeo primum locum D. Thomæ, quem Vazquez & Lorca tanquam expressum in sui favorem magnificant, varias habere explicationes, quas refert Ildephonse hic disp. 78. fragm. 3. Verior & conformior textui est illa, quæ assertor S. Doctorem per hæc verba: Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, essentialiæ voluntarij perfecti rationem voluisse exponere; hæc enim ad perfectam cognitionem consequitur, & per illam differt a voluntario imperfecto, quod in pueris, amitus, & beatis reperitur: in reliquis autem verbis, quando subdit: Prout scilicet apprehenso fine potest quis deliberans de fine &c. solum ponit exemplum quoddam voluntarij perfecti, in eo quod nobis notius est, scilicet in actu libero; ex quo non licet inferre non dari voluntarium perfectum sine libertate: sicut si quis dicit, animal distinguitur à planta in eo quod sentit, quemadmodum videmus homines sentire; inde non licet colligere, quod solum homines sentiant, non verò bruta.
- D. Ad primam confirmationem dicendum est, quod laus & vituperium sequuntur voluntarium perfectum, sed non omne: est enim hæc proprietas sicut proprium secundo modo, quod convenit soli, sed non omni.
- E. Addo quod, licet in amore beatifico, & aliis actibus ex perfectione cognitionis necessariis, non inveniatur laus formaliter, benè tamen eminenter, quia invenitur aliquid altius laude, scilicet gloria, quæ est laus in præmio, & consummatio omnis laudis: sicut etiam Deus est dignus omni laude propter gloriam suam, quam tamen habet necessariò, & propter amorem quod se amat, & quod Spiritus Sanctus procedit.
- F. Ad secundam confirmationem respondeo, quod quando D. Thomas ait actus notionales in Deo non esse perfectè voluntarios, vel loquitur de generatione Filij, quæ non est voluntaria formaliter (cùm Filius non procedat à voluntate, sed ab intellectu) sed tantum concomitantia, quia Pater vult se generare, & in tali generatione sibi complacet, ut ipsius S. Doctor explicat i.p. quæst. 41. art. 2. Vel sumit voluntarium pro libero. In hoc enim distinguitur generatio adoptiva à naturali, quod prima sit voluntariè seu liberè, sit enim per liberam & gratuitam gratiæ largitionem, juxta illud Iacobi 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis: secunda vero est naturalis & necessaria, quia fit per naturalem & necessariam divinæ substantiæ communicationem: propter quod Hilarius & alii SS. Patres dicunt Filiū non voluntare, sed naturā procedere.